

etiam domina partis fortunæ est retrograda & infausta, significat quod natus iterum disperget & comminuet acquisita.

Conclusio nona. Participationem & commixtionem suarum rerum cum rebus sociorum, & quod in pollicitis firmus fiat in dando & accipiendo iustus; arguitur ex Luna tercia domina triplicitatis septimæ salua, licet in casu suo &c.

## CAPUT DECIMVM,

## De honore &amp; dignitate nati,



Vm luminaria in signis masculinis & aptis locis extiterint, ut in angulis, aut in alijs locis conuenientibus, præcipue illud, quod dominum temporis obtinuerit, & quinq; stellæ erraticæ luminaria circumdederint, sic ut circumdantes Solem matutinales, Lunam uero ambientes uespertinales sint, natum regem fore significabunt. At si stellæ quæ circumdederint luminaria fuerint in angulis, uel si societatem habuerint in figura cum gradu decimæ & ascendentis, natus erit potentissimus, & rex mundi, & si planetæ adiuuantes luminaria fuerint fortes, & stellæ fixæ etiam cum luminaribus, maxime cum luminari temporis in eodem positionis circulo iaceant, quæ sint de uatura fortunarum, fortuna & potentia nati multum augmentabitur. Si autem unum luminare in angulis fuerit, & aliud extra angulos inuentū fuerit, & ea erraricæ stellæ circumdederint modo praedicto, fueritq; Sol in signo masculino, & Luna in foeminino, decernunt nato imperium in populares iudicando homines, puniendo & incarcerando, licet ex usi progenie procedat. Quod si cum hoc stellæ luminaribus testificantur, non fuerint in angulis, nec testificantur eis per aspectum amicum, natus solum erit gubernator uilla uel ciuitatis, uel exactor tributorum. At si sol & Luna non fuerint in angulis, sed planetæ circumdantes luminaria fuerint in angulis, uel cum eis societatem habuerint, natus erit mediocris honoris in gubernando uillas. Si nec luminaria, nec stellæ circumdantes luminaria fuerint in angulis, nec eos aspicerit, natus miser erit paruæ fortunæ. Cum autem luminaria nec in signis masculinis, nec in angulis fuerint, nec ipsa luminaria fortunæ circumdederint, natus erit in extrema miseria, & infelicissimus.

Cum luminaria in signis masculinis, & in angulis & fortunæ circumdantes ea fuerint de Hayz eorum, natus in ualetudine amplius durabit.

Si autem planetæ circumdantes luminaria de contrario Hayz fuerint, aut in fortunæ ea circumdederint, eius ualetudo debilis apparebit, & leuiter transibit. Valetudo autem & status honoris cognoscitur à planeta circumdante luminaria, qui fuerit fortitudinis & dignitatis præ coeteris. Quod si Saturnus fuerit dispositor locorum luminarium, natus multis hæreditates habebit, & in congregacione pecuniarum perseverabit. Sed si Iupiter cum Venere dispositores fuerint, erit eius fortitudo in iocunditatibus, & donationibus, atq; dignitatibus, ac magnanimitate. Si vero Mars fuerit dispositior, habebit successum in uictorijs, & suorum subditorum timore. At si Mercurius gubernator fuerit, erit in multis rebus perspicuus, ac scientijs, ac doctrinis aptus. Hæc Ptolemæus.

## Aliorum sententiæ &amp; aphorismi,

Decimam